

DISPUTATIO THEOLOGICA,  
DE  
PARADISIACI FE-  
STI PENTECOSTALIS  
OPERIBUS & FRUCTIBUS,  
*Ex GEN. III.*

Quam  
PRÆSIDE  
*VIRO Summè Reverentè, Magnifico, Amplissimo,  
atq; Excellentissimo,*

DN. JOHANNNE Deutschmann/  
SS. Theol. Doct. ejusdemqve Prof. Publ.  
longè celeberrimo, Facultatis suæ Seniore venerabili,  
ac Alumnorum Electoralium Ephoro Pri-  
mario gravissimo,

*Dno. Patrono, Præceptore, atq; Promo-  
tore suo, omni pietatis & observantia cultu et atem  
colendo,*

Publicè tuendam suscipiet.

WENTZESLAUS Niedertwerffer/  
Dresdensis,

*In Auditorio Majori,*

*Horis matutinis finitis sacris,*

*Die XX. Junii, An. M. DC. XC.*

WITTEBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

Coll. diss. A  
161, 59

54. A. 161 (59)



VIRIS,

*Admodum Reverendo, Clarissimo,  
Doctissimoq̃*

DN. M. FRANCISCO Rihr/  
Ecclesiae Johanneae Dresdensis Germ. &  
Bohemorum Exulantium Pastori  
vigilantissimo,

Nec non

*Clarissimo, Doctissimoq̃*

DN. M. JOHANNI FRENZELIO,  
Scholae ibidem ad S. Crucis Collegae  
III.

*Præceptori olim longè meritissimo,*

Disputationem hanc  
Academicam

D. D. D.

Wenzeslaus Niederwerffer.





IN NOMINE JESU, SPIRITUM S. MERENTIS, & MITTENTIS!  
 DE  
 PARADISIACI FESTI PENTE-  
 COSTALIS OPERIBUS, ET FRU-  
 CTIBUS,  
 EX GEN. III.

I.

**T**andem accedimus ad *Energias*, vel *Opera*, seu *Dona Festi Pentecostalis*, quæ tamen omnia *Spiritui Sancto* tribuuntur, utpote, qui *Festi Pentecostalis* est  $\alpha$ , &  $\omega$ , *principium*, & *Finis*, & vere το πᾶν. Nam certum est idipsum, (1) quod hoc *Festum Pentecostale* suas requirat *operationes*, patiter & *Opera*: (1) quia nullum *Festum* est frustra vel institutum, vel ordinatum, cum ea, quæ *Dei* sunt, vel ad *Deum* respiciunt, *frustranea* neutiqvam esse possint, dum ipse *Deus* nihil intendit, nihil attendit *frustra*, nihil, quod *frustraneum* est, instituit, vel constituit: multo minus igitur hoc de *Festo pentecostali* dicendum, quod reliquorum *Festorum* vel *ansa*, vel *causa*. (2) quia cuncta *Festa* propter *cultus divinos* ordinata sunt: hi verò *cultus divini* sunt *divinæ τᾶξως*, & *mysticæ πρᾶξως*, imò, si recte celebrentur, *salutifera χηρῶως*: hæc autem cum aliis neq; sine certis *operationibus*, neque sine certis *operibus* esse possunt. (3) quia penes *Adamum*, & *Evam* tales *operationes festivales* deprehendimus, quæ *plenariam* inferunt *mutationem*, dum ex *malis boni*, ex *peccatoribus penitentes*, ex *incredulis fideles*, ex *apostatis parastata*, ex *inimicis amici Dei* &c: fiunt, quæ certe singula, nec sine *divinis operationibus*, nec sine *mysticis donis*, aut *operibus* contingere potuerunt.

2. (2) Quod etiam *Spiritus Sanctus*, *Festi Patronus*, *Dominus*, & *Ερροδιώκτης*, nec sine *veris operationibus*, aut *operibus*, hic considerari possit: (1) quia tanquam *Aura Vespertina* spirat, adspirat, inspirat, nim. *verbum*, *corda* vel *animos*, & *animas perspirat*, & eas,

A

non



## DE PARADISIACI FESTI PENTECOSTALIS

non amplius cum Diabolo, sed cum Deo *conspirare* facit. (2) *quia* tanquam *Spiritus actus* est, non *quiescens*, sed *agens*, non *otians*, sed *operans*, non *deficiens*, sed *efficiens*. (3) *quia* tanquam רוח היום *Spiritus diei*, vel *lucis*, illuminat homines *cacos*, *noctem* malorum in *diem* bonorum, *tenebras* in *lucem* convertit, *obtenebratas* mentes *illuminat*, *indurata* corda *penetranter emollit*, *perverfas voluntates* ad *diei* *rectitudinem* dirigit. (4) *quia* *Vox* *Jehova* *Elohim*, vel *ejus Verbum* à *protoplastis* auditur לרוח היום, ad *Auram*, vel *Spiritum diei*, nim. secundum *ductum*, vel *pulsum*, ad *nutum*, vel *motum*, ad *actum*, vel *effectum*, ad *mensuram*, & *salutarem usum* hujus *Spiritus*, & sic etiam *realiter* apud *Protoplastos* operari perhibetur. (5) *quia* cunctæ, quæ vel hic fuerunt, vel adfuerunt, vel profuerunt *Protoplastis*, non à *Spiritu maligno*, qui potius omnes *operationes* bonas impedire volebat, atque studebat; nec à *Spiritu humano*, qui totus *corruptus* erat, & ad mala tantum promptus, atque paratus, adeoque bonum neutiqvam *operari* poterat; manet igitur, quod omnes *operationes* bonæ circa *festum pentecostale paradisiacum*, tantum à *Spiritu Sancto* profectæ fuerint, inprimis, quia *corruptus homo* se *passive* tantum in his omnibus habebat.

3. Sic igitur hac vice tantum *duplicis generis operationes*, juxta generalissimam *Philosophorum* distinctionem, notabimus, & enodabimus, nim. (I) *Pentecostales Energias*, vel *operationes*, secundum *Activitatem Spiritus Sancti*. (II) *Pentecostales Effectus*, vel *Ενεργήματα*, quæ per illas *activas Sancti Spiritus operationes* hominibus, festivalibus cultoribus, communicata, vel donata sunt.

4. I. *Energias Pentecostales* quod attinet, eorum ingens est numerus: nos aliquas saltem recensebimus. Tales sunt (I) *Seductionis serpentis Inspectio*: licet enim *serpens* paradisiacus suos *technas*, & *fraudes*, quoad fieri poterat, variis *prætextibus*, & *coloribus* occultare voluerit, *Spiritus* tamen *Sanctus*, tanquam παντοκράτης, & רוח היום, omnes ejus *cogitationes*, & *machinationes*, omnes *tentationes*, & *insidiosas molitiones*, omnes ipsius *confabulationes*, & *intricatas sophisticationes* videbat, statim deprehendebat, & è *tenebris* mox in *lucem* protrahebat, & tanquam *Inspector*, suo modo tales admittebat, & permittebat, non *permissione*,  
quadam



OPERIBUS, ET FRUCTIBUS. EX GENES. III.

quadam sciosa, vel imprudenti, sed operosa, vereque prudenti, dum  
 nim. metam his omnibus praefigere, totumque lapsum ad bonum  
 finem, Deo gloriosum, & hominibus peccatoribus fructuosum, auto-  
 ri vero pessimo prorsus ignominiosum, sapienter dirigebat. Sic  
 vere valet hic de Serpente, vel Cacodamone: *Malum Consilium  
 Consultori pessimum.*

5. (II) *Lapsus Protoplastorum Directio*: licet enim *Spiri-  
 tus Sanctus* in Protoplastis per, & propter *apostasiam* non perman-  
 ferit, nec in iis permanere voluerit, quoniam juxta Sap. I. 2. inve-  
 nitur ab his, qui non tentant illum: apparet illis, qui fidem ha-  
 bent in illum: *perverse cogitationes* (multo magis *collocutiones*,  
 & operationes, quales erant Protoplastorum) *separant à Deo*, *pro-  
 bata autem virtus corripit insipientes*: quoniam in *malevolum  
 animum non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito  
 peccatis*: *Spiritus enim Sanctus disciplina effugiet fictum, & auferet  
 se à cogitationibus, quae sunt sine intellectu, & corripietur à super-  
 veniente iniquitate*: *Benignus enim est Spiritus Sapientiae, & non  
 liberabit maledictum à labiis suis, quoniam renum illius testis est  
 Deus, & cordis illius scrutator est verus, & lingua ejus adjutor*: quo-  
 niam *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc, quo conti-  
 net omnia, scientiam habet vocis*: propter hoc, qui loquitur iniquus,  
**NON POTEST LATERE**: nec praeteriet illum corripiens *judicium*:  
*in cogitationibus enim impii interrogatio erit, sermonum autem  
 illius auditio ad Deum veniet ad correptionem iniquitatum illius*:  
*quoniam auris Zeli audit omnia, & tumultus murmuracionum non  
 abscondetur*. Omnia *Spiritus Sancto* sunt aperta, nihil eidem  
*opertum*, omnia manifesta sunt, nihil clandestinum. Sed ubi *Spi-  
 ritus malignus* nidum suum ponit, ibi *Spiritus Sanctus* insidere  
 non cupit: ille sapit, cupit, & facit omnem immunditiam, sed hic  
 nescit, fugit, & impedit omnem impuritatem. Licet autem pec-  
 cata detestetur & abominetur, non tamen *otiose* circa talia versa-  
 tur, sed potius *dirigit* illa, non *equividem à priori*, sed *à posteriori*,  
 non *causali*, sed *judiciali directione*, non *quoad formam*, & *divinici-  
 at*, sed *quoad metam*, & *evocationem*. Sicut admirandam ejusmodi



## DE PARADISIACI FESTI PENTECOSTALIS

*directionem* etiam in lapsu protoplastorum deprehendimus. Dirigit enim corruptas, per mendacium serpentis, aures ad auditum Evangelii, corruptas, & obtenebratas mentes ad illuminationem pentecostalem, adspirationem serpentis ad inspirationem *Auræ vespertinae gratiosae*, vel *pentecostalis*, voluntates averfas, per multas *Cacodæmonis*, & *Carnis* declinationes, ad optimas erga *gratiosam DEI voluntatem inclinationes*, corda peccatis plena, *Cacodæmonis domicilia*, ad veram per *Messiam mundationem*, & totius *SS. Trinitatis*, *Jehovæ Elohim*, *inhabitationem*: &c: ducit ipsos peccatores ex fuga ad *asylum*, à *Diabolo* ad *Deum*, à *throno justitiæ* ad *thronum gratiæ*, à *comminationibus* ad *promissiones*, à *verbo legis* ad *Evangelium*, ab *irato iudice*, seu *vindice*, ad *benevolum Patrem*, à *furore*, ad *amorem*, à *Satana* ad *Messiam*, à *malis* ad *bona*. &c: Hæc sapientissima non tantum, sed & *optima* dicitur *Directio*.

6. (III) *Auræ Pentecostalis*, vel *Spiritus diei*, seu *lucis spiratio*: nam diserte fit mentio רוח היום, per quem *Spiritum*, si non literaliter, tamen *typice*, vel *consequenter*, *Spiritus Sanctus* insinuatur. Sicut enim (1) *Spiritus S. ratione tituli* vocatur, Gen. I. 2. רוח אלהים, ita pariter h. l. *Spiritus Diei*, vel *lucis*, appellatur, quia *Deus lux est*, & *in eo tenebræ non sunt ullæ*, I. Job. I. 5. (2) *ratione oppositi*: nam Gen. I. 2. dicitur, quod *tenebræ fuerint super faciem abyssi*: sed *immediate* subjungitur, quod *Spiritus Elohim incubuerit aquis*, eumq; mox v. 3. etiam *effective lucem*, & *diem* effecisse, atque vidisse: Sic *Diabolus* apud *homines*, tanquam *Spiritus tenebrarum*, meras inter *homines*, vel per ipsos *homines* totos, *mediantibus peccatis*, *tenebras mysticas* spiraverat, & *regnum spiritalium tenebrarum* ita fundaverat, quod *regnum tenebrarum* destruere, & *tenebrarum Spiritui* resistere volebat רוח היום, dum non *colluctari* volebat *adversus carnem*, & *sanguinem* sed *adversus Principes*, *adversus potestates*, *adversus mundi Rectores tenebrarum* hujus seculi, εως τῆς κοσμοκρατορίας τῶν σκότους, & αἰῶνος τῶν τῶν contra *Spiritualia nequitie* Eph. VI 12. *Tenebræ peccatorum* jam per *Spiritum lucis* evanescere necessum habebunt, quia רוח היום, *Spiritus diei*, jam *veniebat*, *diem afferebat*, & *diei mystici lucem* in *hominibus* accendebat. (3) *ratione relati*, quia  
sicut



OPERIBUS ET FRUCTIBUS. EX GEN. III.

sicut *Spiritus*, Gen. 1.2. dicitur *Elohim Spiritus*, ita pariter hoc loco tribuitur *Jehova Elohim*, per veram relationem. (4) *ratione proprii*, quia sicut *Spiritus Elohim*, Gen. 1.2. tanquam *Spiritus* aquas *spirando* movebat, fovebat, & fecundas sua motione reddebat; ita quoque *Spiritus diei* h. l. se *spirando* movet, ut homines fovere, & vitales reddere queat. (5) *ratione subjecti*, quia sicut *Spiritus Elohim* incubuit, toti *massa mundana*, vel *Macrocosmo*, nim. ut vim *creatricem*, *formatricem*, *vivificatricem* &c. eidem afferret; sic h. l. *Spiritus lucis* *spirat*, *adspirat*, & *inspirat* suam auram *Microcosmo* jam per peccatum *mortuo*, nim. ut *cordibus* hominum incubare, & illa *vivificare*, *animare*, *vitamque* *spiritualem* in illis restaurare valeat. (6) *ratione status subjectivi*, quia sicut *massa rudis* erat, & *indigesta*, *Tobu*, *Vabobu*, nondum *viva*, nondum *distincta*, nondum *ordinata*, nondum *ornata*, maxime *confusa*, & *tenebricosa*, quam *Spiritus Elohim* incubando fovebat, & movebat: ita *massa cordium* humanorum peccaminosa, vel ipsimet homines peccatores erant *corrupti*, vel *depravati*, *confusi*, vel *inordinati*, *luce spoliati*, & *tenebricosi*, propterea veniebat רוח היום *Spiritus Diei*, vel *lucis*, ut *amissam lucem* revocaret, *novam lucem* inchoaret, *diem gratiae*, vel *salutis* manifestaret, ipsum *Diem lucis*, cum primis *pentecostalis*, hominibus communicaret, tanquam *Spiritus lucis* in *cordibus*, vel *animabus* ipsorum habitaret, & sic à *tenebris spiritualibus*, & *infernalibus*, ipsos liberaret, ad *regnum lucis* transportaret, ac è *filiis tenebrarum* in *filiis lucis* transmutaret, ut in die lucis vivere, vel etiam in *luce*, seu *lucis operibus* ambulare possent. (7) *ratione modi*, sic verus est *Spiritus*, tanquam *Aura spirans*, peccatoribus gratiam *adspirans*, fidem *cordibus* illorum *inspirans*, undiqueque suis *donis*, & *bonis circumspirans*, ut homo peccator fiat *spiritualis* homo, vereque cum *Aura Pentecostali*, quoad *spirituales inclinationes*, *meditationes*, *cogitationes*, *locutiones*, *operationes*, *conspirans*. Idem etiam ostendunt *proprietates*, quia fuit *aura levis*, & *suavis*, *grata*, vel *accepta*, *delectabilis*, & *amabilis* &c: *illustrissimum gratiae praesentis*, *regnum gratiae fundantis*, *Messiam* cum omnibus *beneficiis afferentis*, *Symbolum*. (8) *ratione loci*, quia sicut



## DE PARADISIACI FESTI PENTECOSTALIS

hic Ruach Hajom totum Paradisum suo spiramine tunc adimplevit, inprimis autem peccatorum causa spirationes & inchoavit, & continuavit; ita pariter Spiritus Sanctus mysticum paradisi, Ecclesiam videlicet suis spirationibus, & inspirationibus adimplet, sicut inprimis ex Viris Θεοπνεύστis est manifestum, cum omnium fidelium afflatus mystici, vel spirituales suggestiones id idem luculenter arguant. (9) *ratione effecti*: magnus in paradiso Spiritus diei fructus, & effectus: hæc Aura pentecostalis retraxit peccatores ex fuga, & apostasia, vel malicia, ex Satanæ potentia, breviter ex omnibus malis, & miseriis: è contra traxit eos totos ad Deum, ad Messiam, ad Spiritus Sancti pentecostalem energiam &c: quæ certe magna dicitur Aura spirantis efficacia. (10) *ratione consequentis præconii*: nam post Auram vespertinam promulgatur Evangelium, Evangelii præconium, & hominibus affertur non tantum, sed etiam confertur letum de redemptione, & restitutione, numisium. Sicut etiam tempore N.T. post Auram Pentecostalem, ejusque comparitionem, Act. II. 2. seqq. capit universale præconium Evangelii. (10) *ratione adjuncti*, vel etiam Universalitatis Catholice: nam sicut h. l. toti Humano generi Pentecostalis Aura fuit in protoplastis manifestata; sic in complemento post Auram Vespertinam Pentecostalem magnalia Dei sunt omni Nationi, quæ sub caelo est, per Evangelii Catholicam annunciationem patefacta.

7. (IV) *Aura Vespertina cum Voce Jehovæ Elobim conspiratio*; nam Protoplasti tunc audiverunt Vocem Jehovæ Elobim, deambulantis in horto, לְרוּחַ הַיּוֹם, ad Auram diei, ad Spiritum lucis. Amica hæc, vereque notatu digna dicitur Vocis, & Spiritus conjunctio, vel conspiratio. Sicut autem superius jam observatum, quod non obscurius hic ostendatur *Mysterium SS. Trinitatis*, Pater in Elobim deambulante, ceu Plantatore, in horto plantato, Filius in Elobim λόγῳ, seu Voce Sonante, Spiritus Sanctus in Aura spirante, se cum λόγῳ, vel Voce copulante, cum ea, vel in ea, seu per eam operante: ita prorsus admirabilem συζυγίαν Vocis, & Flaminis, effatus, & afflatus, קוּר & רוּחַ Filii, & Spiritus Sancti, quoad Humani generis reparationem, Regni Gratia foundationem, & omnem gratiosam operationem, hic offendimus. Deambulans Pater mit-

tit  
ran  
&  
fe  
  
qv  
ma  
ve  
gr  
pri  
Vo  
cis  
an  
co  
  
un  
en  
lis,  
&  
Ev.  
ph  
ex  
tio  
ne  
fu  
tis  
  
Elo  
ne  
le  
N  
d  
Di  
De



OPERIBUS, ET FRUCTIBUS. EX GEN. III.

tit *Vocem*, & *Filium*, mittit & *Auram*, & *Spiritum*, missi conspi-  
rant in omnibus, cum primis quoad *justificationis*, & *salutis causas*,  
& alia quævis *puncta*, *cognitu*, *creditur*, necessaria. Sic *Spiritus*  
semper est cum *λόγῳ*, & *λόγῳ* semper est cum *Spiritu*.

8. (V) *Pentecostalis Vocis, & Auræ conspirantis Vocatio*,  
quæ maxime quoque necessaria dicitur *operatio*, quia *vocatio pri-*  
*imum* illud est *medium*, per quod homines advenire vel possunt,  
vel debent: *Adam, Adam, ubi es?* Hæc *Vocatio* non tantum est  
*gratiæ bene cupientis* certū indicium, sed etiam *gratiæ bene operantis*  
principium, cum primis, quia promanat ex *Voce Jehovæ Elobim* hæc  
*Vocatio*, simulque promovetur per רוח הוי, per *Spiritum lu-*  
*cis*, ut per ejus vel *adspirationem*, vel *inspirationem*, *Vox* penetret  
*aures*, *mentes*, *voluntates*, *corda*, *desideria*, &c: suumque salutarem  
consequatur eventum.

9. (VI) *Pentecostalis Vocantis predicatio*, quæ dicitur non  
*unius conditionis*, si vere *pentecostalis* esse debeat: præmittitur  
enim primum, *ratione peccatorum*, vel *subjectorum*, *predicatio lega-*  
*lis*, ad *peccatorum agnitionem*, *veram contritionem*, *detestationem*:  
&c: mox autem subjungitur *ratione Dei Vocantis, & predicantis*  
*Evangelica predicatio*, de plenario *peccatorum sive remedio*, sive  
*pharmaco*, *Redemptore peccatorum omnium Catholico*; sic igitur  
ex hac *gemina predicatione* vere promanat *penitentialis prædica-*  
*tio*, quæ maxime *pentecostalis* est, sicut *Petrus* hoc *prima Concio-*  
*ne Pentecostali* demonstravit, nec aliud suis *Auditoribus consilium*  
suppeditare potuit: Act. II. 38. *Penitentiam agite, &c: & accipie-*  
*tis donum Spiritus Sancti*.

10. (VII) *Pentecostalis Predicantis Conversio*, quia *Jehovæ*  
*Elobim* non tantum *Evangelii*, vel etiam *penitentialem predicationem*  
instituit, sed etiam homines peccatores per ipsum *penitentia-*  
*le præconium* convertere constituit, & ipsomet *actu* pariter effecit.  
Nam *protoplasti* non manserunt *cum Diabolo*, sed *revocati sunt*  
*à Deo*, non hac vice *sunt à Deo* per peccatum, & *apostasian* ad  
*Diabolum aversi*, sed *à Diabolo* per *veram penitentiam* sunt *ad*  
*Deum conversi*, non in *verbo falsitatis* perstiterunt, sed *verbum &*  
*judicii*



## DE PARADISIACI FESTI PENTECOSTALIS

*judicii legalis, & beneficii, per Evangelium, spiritualis* receperunt, non peccare contra Deum perrexerunt, sed à peccando destiterunt, *Messiam* per veram fidem acceperunt, & in vera fide Benefactorem reconciliatum dilexerunt, atque sic à Deo verè per veram penitentiam *conversi* sunt. Hanc energeticam igitur *Dei Conversionem Protoplastorum* nunc omnis generis *beneficia, vel energemata pentecostalia* secuta sunt.

11. *Energemata, vel Effecta Pentecostalia* quod attinet, illa neutiquam in *Protoplastis* à *Spiritu Sancto* neglecta, sed magno numero statim ipsis allata fuerunt. Nos modo nec omnia recitare, nec ulla prolixius, & ratione convenienti declarare possumus, quia de causa nonnulla saltem brevibus introducemus.

12. Talia sunt: (1) *Pentecostalis Verbi noviticia*, quia *Spiritus Sanctus* Verbum gratia, & per hoc gratiam beneficiorum *Protoplastis*, tanquam penitentibus peccatoribus, communicat. Hoc enim est potentia Dei salutaris, vel ad salutem, Rom. I. 16. ea de causa primum omnium Verbum communicatur, ut illud servare per *Sancti Spiritus operationem* possint, partim quia verbum medium est omnis spiritualis, & salutaris communicationis; partim quia principium est omnis internæ, vel spiritualis, tum cognitionis, tum spiritualis approbationis, tum fiducialis, apprehensionis, tum spiritualis operationis, tum divine donationis, &c: Breviter Verbum τὸ Πᾶν est, est primum, & medium, & ultimum, est adequatum omnium divinorum in Homine principium: cum verbo veniunt omnia: sine verbo veniunt nulla Dei dona, vel beneficia: cum verbo manent omnia, sine verbo disparent omnia: quamdiu verbum est in hominibus, tamdiu & *Spiritus Sanctus*, & omnia, quæ sunt Dei, constanter adesse perhibentur. *Christus* in Exordio *Pentecostalis Evangelii* dicit: Joh. XIV. 23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum VENIEMUS, & mansionem apud eum faciemus. Quinam vero sit ille, qui diligit Christum, v. 21. proponit, & exponit: Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.

SERVA-



OPERIBUS ET FRUCTIBUS. EX GEN. III.

*Servare verò mandata, vel verba Christi, juxta Phrasologiam Spiritus Sancti, non legaliter, sed Evangelice, dicitur hic intelligendum, quia ratione significat nihil aliud, quam credere, sic præcedit fides, sequitur charitas. Nostri protoplastis ⲙⲓⲛⲓⲛⲓ Spiritus Diei, vel lucis, attulit Vocem Jehovæ Elohim, Gen. III. 8. Evangelium, mandatum, verbum Jehovæ Elohim, imò non tantum attulit, sed etiam auribus, mentibus, cordibus, affectibus, ipsorum idem intulit, vel tanquam Spiritus Diei, seu lucis, pro nocte justitiæ, vel judicii, gratiæ, vel misericordiæ diem, pro tenebris iræ, seu vindictæ, pro tenebris culpæ, & pænæ, pro tenebris omnium miseriarum, lucem veritatis, & sapientiæ, lucem cognitionis, & scientiæ, lucem perceptionis, & intelligentiæ, cum omnibus aliis bonis inspiravit.*

13. (II) *Pentecostalis Fidei tum παρρησία, tum πληροφρο-  
εία. Nam Verbum Dei quid sequitur? Fides. Adest concio pen-  
tecostalis per Spiritum Sanctum cordibus protoplastorum illata,  
mox adest fides pentecostalis ex Verbo Pentecostali prognata, cum  
Verbum hoc sit Verbum fidei, Rom. X. 8. non tantum conjunctive,  
dum fides se statim verbo conjungit; neque tantum objective, dum  
fides verbum apprehendit, & tanquam genuinum suum objectum  
semper sibi proprium facit, & nunquam dimittit; neque tantum  
constitutive, dum ipsam fidem constituit, quia verbum suo modo  
fidei forma, vel anima, quæ fidei dat fieri, dat esse, dat operari, &c: sed  
etiam effective, quia Verbum in hominibus fidem efficit, & accendit,  
dum v. 17. clarissimis verbis dicitur: Fides ex auditu, auditus  
autem per verbum Dei. Nostri Protoplasti pariter Evangelii verbum  
audiverunt, & ex verbi, per Spiritum Sanctum, auditu mox fidem cor-  
de conceperunt, & acceperunt. Antea premebat eos ἀνομία, ἀμαρ-  
τία, πολυφοβία, Deum metuebant, Deum fugiebant, à Deo se totos  
abscondere contendebant: nunc comparet in illis *mens* parrhesia,  
*mens* plerophoria. Veniunt ad Deum, stant coram Deo, manent  
apud Deum, audiunt Deum auribus, recipiunt eum cordibus, custo-  
diunt ipsum fiducialibus amplexibus: *mera* splendet in ore παρρη-  
σία, *mera* fulget in corde πληροφροεία. Toti toti feruntur ad  
Deum, toti toti vehuntur in Deum, sunt in Jehovæ Elohim. Latent*



## DE PARADISIACI FESTI PENTECOSTALIS

in intimis Patris Elobim visceribus, instar novi fetus: hærent, & manent in Elobim Filii, ceu Mediatoris, & Redemptoris justitia vestimentis, & salutis indumentis, Esa. LXI. 10. fulgent in Spiritus Sancti lucidissimis mysteriis, & Evangelicis Verbi domiciliis: hinc ipsis πληροφωρία propria, continua, perpetua. Nullum hic auditur dubium, nullum resistentiæ verbum, nullum contraveniendi, vel contradicendi signum. Fides hæc Pentecostalis est Fides triumphalis, & vera victoria. I. Joh. V. 4. Triumphant Protoplasti contra Serpentem Satanam, qui seduxerat eos, contra falsiloquiũ, quod corrumperat eos, contra peccatum, quod infecerat eos, contra mortem, quæ, tanquam peccati stipendium, Rom. VI. 23. invaserat eos, contra infernum, qui terruerat eos, &c: triumphant in plerophoria sua confidenter adversus omnia mala, tum externa, tum interna, tum æterna.

14. (III) Pentecostalis ειρηνοποιια: nam antea mera fuerat inter Deum, & homines inimicitia, sed, cum adhuc essent homines inimici Dei, tamen eos diligebat, & reconciliationem ipsis offerebat. Rom. V. 9. Sic igitur vera fit reconciliatio Dei Creatoris, & creaturarum omnium in cælis, & in terris, Col. I. 20. per hanc Spiritus Sancti ειρηνοποιου, quia pax nobis datur in Spiritu Sancto, Rom. XIV. 21. antea bellum erat, nunc mera pax regnat: quia Princeps Pacis Esa. IX. 6. promissus, Dominus Pacis Jud. VI. 23. admissus, Christus, qui ipsa pax, nobis Eph. II. 14. est commissus, vel immisus. Inimicitia cunctæ sunt à nobis sublata, sunt in serpentem, ejusque caput translata, nobis sunt ademptæ, sed in Satanam congestæ. v. 15. Inimicitias ponam inter te, & inter mulierem, inter semen tuum, & semen ejus, & ipsum conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus. DEus offensus, & infensus fit inoffensus. DEus iratus fit placatus: DEus inimicus fit amicus, DEus offensor fit Defensor, DEus Hostis fit hospes: &c: Pacem meam relinquo vobis: dicit Christus; item in Evangelio Pentecostali: v. 27 pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat vobis, Ego do vobis: non turbetur cor vestrum, neq; formidet. Nam, ubi præcedit parrhesia, & plerophoria, necessario vel antegreditur, vel sequitur omnis reconciliatio, vel ειρηνοποιια.

15. (IV)



OPERIBUS, ET FRUCTIBUS. EX GEN. III.

15. (IV) *Pentecostalis Peccatorum Φιλοδοξία*, summus amor Dei peccata condonans: Da unsre Erste Eltern für sich/ und für uns alle / den ersten Perdon aus Gnaden empfangen haben. *Glossa marginalis* in Bibl. German. ad *Proteuangelium* ita sonat: *Hæc est prima vox Evangelii, & promissio de Christo prolata in terra, quod Ipse, devicto peccato, morte, & portis inferorum, sit nos liberaturus à potestate serpentis, quam promissionem fide amplectens Adam, cum omnibus suis posteris, justus, & membrum Christi effectus est, & salvatus à lapsu suo, h. e. plenam remissionem culpæ, plenamque sublationem pænæ consecutus, quia nihil est acquisitionis, nihil accusationis, nihil condemnationis, in iis, qui sunt in Christo Jesu, Rom. II. 1. Messias promissus à nobis omne peccatum abstulit, sicut ipse dicit: Ego sum, Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Isa. XLIII. 25. Messias à nobis in se peccata transtulit, dum pro nobis factus est peccatum, ut in ipso nos efficeremur justitia, II. Cor. V. 21. Messias omnia peccata mundi totius tulit, & portavit, & ferendo, vel portando sustulit, dum est Agnus Dei, qui tollit peccata mundi; Job. I. 29. dum ipse Deus posuit in eo nostrum omnium iniquitatem; Isa. LIII. 6. hinc vere langviores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, v. 4. Messias ita peccata nostra, penasque peccatorum pro nobis pertulit, dum ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostra super eum, & ejus livore nos sanati sumus. Messias omnia peccata nostra sustulit, quia misertus est nostri, dum iniquitates nostras mundavit, & omnia peccata nostra penitus in profundum maris projecit. Mich. VII. 19. Ex ejus igitur merito nobis omnis contingit peccatorum remissio, & eadem jam olim protoplastis gratiose contigit. Peccata per inquisitionem legalem, & judiciale, indagantur, peccatores rigorosius examinantur, ad contritionem, & confessionem peccatorum, & per conscientiam internam, & per convictionem externam judicis, coarctantur, penis omnibus quasi destinantur, & dedicantur. Sed διὰ τὴν ἀντιθέσιν gratiosissima hæc rerum permutatio. Nam omnia peccata, sicut & omnia supplicia,*



## DE PARADISIACI FESTI PENTECOSTALIS

*plicia*, per divinum *decretum* congregantur, in *serpentem* per divi-  
nam *maledictionem* coacervantur, *inimicitia*, cum omnibus *maledi-*  
*ctionis* indicis, *mediis*, & *modis*, eidem appropriantur, *hominibus*  
in *Messia* remedia, seu *pharmaca*, præsentissima porriguntur, in eo-  
dem omnia *merita*, cuncta *beneficia*, peccatoribus comparantur,  
*mala* hominum in peccatis, & *suppliciis* *Messie* communicantur,  
bona, & *beneficia* *Messie* nobis peccatoribus multiplicantur,  
per *Spiritum Sanctum* in vera *penitentia* dispensantur, per veram  
*fidem* salutariter applicantur, & inprimis per *gratitatem remissio-*  
*nem peccatorum* ipsis in verbo certissime confirmantur.

16. (V) *Pentecostalis justitia* μεγαλοδωρῆα, quia summa  
Dei *magnificentia*, quod suam *justitiam*, Filii Dei *justitiam*, prorsus  
infinite, pro *justitia* peccatoribus imputat, imò *Christum* ipsum  
*justitiam* facit eorum, quia *Messias factus* protoplastis *sapientia*, *ju-*  
*sticia*, *sanctificatio*, *redemptio*; I. Cor. I. 30. ipse factus in nobis, & propter  
nos *peccatum*, & nos facti sumus in ipso *justitia*; II. Cor. V. 21. per *apo-*  
*stasiam* autem factus *Adam abominabilis*, & *inutilis homo*, qui *bibe-*  
*rat quasi aquam iniquitatem*, vel *injustitiam*: Job. XV. 16. sed nunc  
per *DEI Misericordiam*, & *Messie justitiam*, non tantum intus,  
per *fidem*, *justitia* luce splendet, sed totus induitur *justitie vestimen-*  
*tis*, & *salutis indumentis*. Esa. LXI. 10.

17. (VI) *Pentecostalis Vita*, quia *justificationem* immedia-  
te sequitur, vel etiam *Vita spiritualis* ingreditur formaliter ipsam  
*justificationem*, vel *justitie* coram Deo valentis *imputationem*. Nam  
homo peccator ante *justificationem*, vel adhuc *justificandus*, *mortuus*  
*est in peccato*, Eph. II. 1. sed homo *justificatus* *vivit Deo*, *vivit à Deo*, *vi-*  
*vit in Deo*; Peccator autem non *Deo*, sed *peccato* *vivit*, sed homo *justi-*  
*ficatus*, *peccato* *mortuus*, & *Deo* *vivit*, sicut *Paulus* Rom. VI. 10. scribit:  
*Quod mortuus est, peccato mortuus est semel; quod autem vivit, vivit*  
*Deo*: mox etiam illud ad *justificatos* accommodat: v. 11. *Ita & vos*  
*existimate, vos mortuos quidem esse peccato: viventes autem Deo in*  
*Christo Jesu, Domino nostro*. Vel ipse *Christus* est peccatorum *justifica-*  
*torum Vita*, sicut *Paulus* scribit: Galat. II. 19. *Ego per legem legi mor-*  
*tuus sum, ut Deo vivam, Christo confixus sum cruci, vel crucifixus*

συνεσταυ-



OPERIBUS, ET FRUCTIBUS. EX GEN. III.

οὐκ ἐστὶν αὐτῷ μέν: Vivo autem jam non Ego, vivit verò in me Chri-  
 stus: quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui  
 dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Hæc etiam erat Ada-  
 mi vera vita, Vita vere Paschalis in Messia, dum in ipso, vel ejus sacri-  
 ficio, mortuus, & oblatus erat, & in ejus Vita victoriosa, seu triumphali,  
 nunc fide vivebat: Vita vere Pentecostalis, dum ipse Spiritus  
 Sanctus, tanquam Spiritus vite, Rom. II. 2. per verbum, quod etiam  
 Spiritus, & vita, Job. VI. 63. spiritualiter in ipso vivebat. Vita ve-  
 re fiducialis, quia fides vera vita mera, fides nova vita nova, fides  
 DEI vita DEI, dum Fides, & Messiam Vitam, & Spiritum Sanctum  
 Vitam, & Deum Vitam apprehendit, & ut eam semper possideat,  
 unice contendit.

18. (VII) Pentecostalis Sanctimonialia: nam & regenerationem  
 renovatio, & justificationem sanctificatio sequitur, & Spiritus inter  
 alia propterea Sanctus appellatur, quod Homines justificados vere  
 sanctificare, juxta Dei decretum, & Christi meritum, debeat, dum,  
 ut Spiritus Sanctitatis, nobis acquisitus, vel soleat, juxta liberrimam  
 suam Oeconomiam, vel etiam valeat, juxta virtutem suam omni-  
 potentem. Et certe pentecostale Festum communiter sanctifica-  
 tionis Festum in Ecclesia dicitur. Quale Festum hoc nobis, & ali-  
 is Christianis, tale quoque fuit Adamo, vel alius Messianis, quia Chri-  
 stus ipsis factus est sanctificatio. I Cor. I. 30. Et certe cuncta, quæ  
 sanctificarunt alios fideles prisci fæderis, Adamo quoque præsentia  
 fuerunt. Ipse Jehova Elohim presens, qui vere Sanctus Sanctorum,  
 aut, juxta Trisagion Angelorum, Τεσσαράκων Sanctus: Esa. VI. 3. qui  
 non semel dicit: Estote sancti, quia & Ego sanctus sum, Levit. XI. 45. &  
 XIX. 2. &c: Præsentia etiam Spiritus Sanctus, tanquam Aura, non noctis,  
 sed diei, non tenebrarum, sed lucis, quia non opera tenebrarum, sed lu-  
 cis in nobis efficit; Joh. II. 19. sq. Hic enim vere dicitur πνεῦμα ἀγία-  
 σόντων, Spiritus Sanctimonialia, vel sanctificationis, Rom. I. 4. adeoque  
 talis aura sanctificans spiravit nostris Protoplastis meras sanctifica-  
 tiones, adspiravit iis meras sanctificationes, inspiravit animabus, &  
 cordibus ipsorum meras sanctificationes. Adest verbum sanctifi-  
 cans, nima. Sanctum Dei Verbum, & quoad legem Dei bonam, I.  
 B 3 Tim.



## DE PARADISIACI FESTI PENTECOSTALIS

Tim. I. 8. & quoad *legem Sanctam*, Rom. VII. 12. & quoad *sanctum Evangelium*, quod omnibus modis sanctum, dum *omnis creatura DEI sanctificatur per Verbum Dei*. I. Tim. IV. 5. *Adest fides sancta*, per quam *purificantur corda peccatorum*. Act. XV. 9. Ex his omnibus *Adam*, & *Eva*, *Pentecostalem Sanctimoniam* acceperunt.

19. (II) *Pentecostalis ἀνδρεία*, vel *μεγαλοψυχία*, *fortitudo*, vel *animositas*: *Adam*, & *Eva* stant, & *Verba Dei*, *crucem*, & *dolores denunciantis*, vel *meras arumnas*, & *miserias fulminantis*, *auribus*, & *cordibus*, patienter acceptant, quando mulieri dicit: *Tuas arumnas multiplicabo, tuos dolores multiplicabo*: &c: vel etiam *Adamo*: *Maledicta terra propter te, cum molestia comedes ex ea cunctis diebus vite tuae*, &c: *in sudore vultus tui vesceris pane tuo, pulvis es, & in pulverem reverteris*. Si quis alius *tot*, & *tanta mala* sibi certo futura, *præsens* audiret, sine lacrymis, & multis angoribus, hæc audire, vel etiam maxime timere non posset. *Protoplastæ* vero per *Hospitem Pentecostalem*, *Spiritum Sanctum*, jam de *gratia Dei Patris*, de *justitia Messie*, de *præsentia*, vel *gratiosa Sancti Spiritus energia*, certi, non commoventur, sed *fortibus* auribus excipiunt, *fortibus* mentibus concipiunt, *fortibus* voluntatibus excipiunt, *fortibus* cordibus suscipiunt, *fortissimo* vel *animo*, vel *Spiritu* cunctas *afflictiones*, & *tribulationes* in virtute Dei ferre, vel perferre, sibi firmiter proponunt, dum *Summum Paracletum*, & *Consolatorem*, semper *præsentem* sibi norunt.

20. (IX) *Pentecostalis Patientia*: jam *Adamus* ingentem *malorum*, sibi *deputatorum*, *catalogum*, & *cumulum* audit, *impatiens* nec movetur, nec commovetur, dum novit, & credit *Patrem Misericordem* præsentem, *Messiam in cruce comitem*, vel potius *Antecessorem*, *majora mala ferentem*, & *pro se sufferentem*, *nimiam Dei justitie gravissimum pondus*, *maledictionem*, & *condemnationem*, & *alia mala quævis*; *Spiritum Sanctum Præsidentem*, & *Antistitem*, in omnibus *malis* subvenientem, & in malis cunctis abundantissimas, efficacissimas, & sufficientissimas *consolationes* afferentem: apprehendit ergo *Jehovam Elobim*, ut sit in *omni cruce* sibi *scutum*, & *merces magnanimis*, Gen. XV. 1. apprehendit itidem *Verbum Dei*, tanquam *virtu-*

tem



OPERIBUS, ET FRUCTIBUS. EX GEN. III.

*tem Dei, I. Cor. I. 18. potentiam Dei, Rom. I. 16. tanquam fundamentum Dei, Eph. II. 20. tanquam baculum, & sceptrum forte: Ps. XXIII. 4. imo Deum ipsum patientia Sequestrem constituit. Nam, juxta Tertull. I. de patient. c. 15. Satis idoneus patientia Sequester Deus: novit Adamus impatientiam vehementer obesse, patientiam multum prodesse, sicut vulgo dicitur: Ein Centner Ungedult benimmt dem Kreuz nicht ein Quintlein/sondern vermehret es mit einen ganzen Stein. Sed in omnibus malis Patientia victrix, omnia vincit, imò gaudet patientia duris.*

21. (X) *Pentecostalis Φιλανθρωπία. Noverat Adamus, Evam sibi datam, ut vite sociam, sed vite fecerat illa rapinam, dum ipsi veram vitam suis persuasionibus ad comedendum fructum vetitum eripuerat; debuerat esse vite donum, sed facta fuerat vite damnum, vite debuerat esse merum adjumentum, & nunc facta mortis instrumentum; debuerat esse alter Ego, pars cordis, & amica, sed per eam Adam factus nullus Ego, ipsa mors cordis, & inimica, Eine rechte böse Sieben. Num Adam par pari referre debebat, & volebat? Si naturam corruptam, illatam philantian, & affectus suos carnales, secutus fuisset, certe cane pejus, & angve mulierem fugisset, odio vatiniiano persecutus eam fuisset, eam parricidii causa neglexisset, rejecisset, & ex oculis eam longissime recedere, simulque nunquam redire, jussisset. Verum Adam non amplius carnalis, sed spiritualis, non animalis, sed pentecostalis est. Odium nescit, charitatem discit, & adsciscit: Inimam rejicit, amorem allicit. Evam ex pentecostali charitate pro bona Dei creatum, pro vite socia, pro uxore sua, diligit, in ea multum sibi tribuit, se per eam fore Patrem omnium viventium præcognoscit, & ideo nomen ipsi Matris omnium viventium imponit, & Eam memorabili nomine dicit Evam, imò non tantum ad vitam externam, & naturalem, sed etiam ad vitam spiritualem, & caelestem respicit, & Messie, vel Seminis Mulieris Mnemosynon in Eva nomine sibi, cunctisque posteris, ad omnem memoriam ponit, sicut superius est expositum.*

22. (XI) *Pentecostalis Ελπισία: mira certe rerum facies: Deus Protoplastis concionatus, & graviter comminatus fuerat arumnas, & dolores, labores, & sudores, spinas, & tribulos, maledictionem, & mortem. Adam hæc omnia non patienter modo suscipit, sed*



## EX GENES. III.

sed in omnia contraria potius ire contendit. Mira fides hæc, mira spes, admiranda pugna, vel antilogia. Nam Adamus cum Paulo dicit: Nos miseri gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operetur, patientia vero probationem, probatio v. spem, spes autem non confundit, Rom. V. 3. seq. vel etiamsi Dominus occiderit me, Job. XIII. 15. tamen in eum sperabo, tamen ille meum erit scutum & merces. Gen. XV. 1. Hinc illustrem facit ex spei magnitudine catastrophem, vel metamorphosin: nam digreditur à morte ad vitam, à malo ad bonum, à Satana ad Messiam, à cruce ad lucem, à desperatione ad spem, à destitutione ad restitutionem omnis posteritatis, & matris viventium considerationem, ac introductionem.

23. (XII) *Pentecostalis εὐχοσμία*, vel pulcherrimus ornatus, quia Dominus Deus ipse fecit protoplastis, de pellibus sacrificialibus, vestes, & quidem tunicas pelliceas, & eos induit. Vestes hæc sunt tegumenta probrosæ, vel peccaminosæ nuditatis, & hac ratione fiunt *Symbole privatorum bonorum*, quibus mala nobis Christus ademit, quæ ratione sustulit *maledictionem*, Gen. V. 29. & *scutum*, factus adversus omnes mysticas tempestates, quæ vel à Diabolo, vel à peccato, vel à morte, vel ab inferno, vel ab aliis hostibus spiritualibus, ortum sumere possunt, cum primis ostendunt nobis ipsam peccatorum remissionem, deletionem, obreptionem, Ps. XXXII. 1. 2. Præterea *Symbole* sunt *positivorum bonorum*, dum ipsum vestimentum *justitia*, vel *indumentum salutis* ex pellibus sacrificialibus ostendunt. Vid. Esa. LXI. 10.

24. (XIII) *Pentecostalis obedientia*, quia nostri protoplasti simpliciter in omnibus obsequium Deo præstiterunt, crucem humiliter recipiendo, vestes assumendo, concionem *epanorthoticam* gravissimam admittendo, *paradisum* relinqvendo. &c:

25. (XIV) *Pentecostalis εὐταγχεα*, quia dum ex *paradiso* dimittuntur, nullo modo de victu, vel aliis solliciti sunt, sed Deum se præsentem habere norunt. Jam & hoc firmiter credunt, quod, qui Deum habet, omnia bona secum habeat, nim. ex voluntate divina sibi *convenientia*, sibi *sufficiencia*, &c.

SOLI DEO GLORIA!



Ad

*Præstantissimum & Doctissimum*

DN. RESPONDENTEM.

**N**on me Voluntas, nec calamus brevem,  
Sed quæ excitasti, gaudia, SPIRITUS

SANCTI DIEI quando fructus  
consideras, faciunt. Volentem

Semper Patronem traxit Apollinem

Amore magno capta dies, neque

Præfens in amplexum; haut minori &

Semper amore putas eum esse  
Dignum. Audi Horati firmus amor meus

Constansque, Amicum nam poposcit

Apollo NOSTRUM, mens adhuc hinc,

quæ puero, cupida est sciendi.

Hinc & PATRONI RÜHRIG, & meus

Præceptor olim FRENZELIUS, pii

Testes citantur; Perge Amice

& gemina studium, Jehova

Et te tuetur, nam pietas tua

& Musa cordi est, per nemus arbutos

quærunt LATENTES, quo coronent

tempore TE, studiose Amice.

*Vol. m. app.*

GODOFREDUS HAUPTMANN,

Dresd. SS, Th. Cultor.

Haut



**H**Aut invocatam vel studio tuo  
Vel rebus ullis deditus ubi eras  
Quod SPIRITUS SANCTI beantem  
Passus abire jurationem.

Me teste, ( notus qui tibi perbene  
primis ab annis ) est specimen quoque  
Nunc publicum testis sat aptus,  
bigaque testis adesse possit

**FAUTORUM.** Ab alto Flaminis æthere  
Sacri ciendo subsidium ac opem  
Pergas, secundis, crede, velis  
Prosperiter quoque navigabis.

*Conterraneus conterraneo à condisci-  
pulatione fraternitas vitam amore  
prosequendo*

*f.*

**MARTINUS Dohle/**  
Phil. Stud.



Coll. Dohle. A 167, Misc 59